




Vk
999





*De Sufahia provincia germanica
necquam Juris Naveii contra
Caceji et Giovanni sententiam*

ORDINIS JURIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

h. c.


DECANUS

MICH. HENRICUS
GRIBNER,

PROF. PVBL.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



27. 14. 12.

2753.

ORDINIS JURIDICI
IN
ACADEMIA VITIMBERGENSI
P. R.
DECANUS
MICHAEL HENRICUS
GRIBNER
PROFESSOR
LECTORI BENEVOLO
E. P. D.



Rium *Marchiarum*, ex quibus duas *Saxoniae Dux* tenet, *tertia* a *Brandenburgico Marchione* possidetur, plerique ad *Henricum Saxonem*, qui & *Auceps* dictus

fuit, origines referunt (a), a quo *Sarmatis Misniae & Lusatia*, *Henetis Brandenburgicam Marchiam* oppositam esse contendunt. Sed quae eundem autorem habent, eas dispari adeo conditione esse conditas non frustra mireris, si verum

A 2 est,

(a) Nolim omnium ego *Marchiarum* origines cura *Cranzio Vandal. L. 3. c. 16.*, & qui eum sequitur, *Manlio* ab *Henrico* repetere, aliud dudum evicerunt *Viri docti*. vid. *Palat. Caten. bist. L. II. c. 2. n. 56.*; plures tamen *Comites limitum*, quos *Marchiones* appellamus, ab eo constitutos esse neminem latet. Ille *Slesvicensis Marchiae*, quam *Danis* objecit, autor est *Kranz. l. c. Adamus Bremens. c. 49.* idem earum, quas diximus, *Misnensis, Brandenburgica, Lusatia* conditor habetur, licet alii *hujus* initia ad *Lotharium II.*, alii ad *Ottonem I.* maluerint referre.

est, quod illustri & publici juris peritissimo Vi-
ro placuit, *Brandenburgicam* quidem *non mo-
do jus civitatis Germanicæ obtinuisse, sed &
justi ducatus ab initio rationem habuisse, Mis-
niam & Lusatiam juris Slavici habitam, adeo-
que utriusque Marchioni nullum inter Ordines
Imperii locum fuisse* (b). Ita perſuavit Vir ſum-
mus *Giovanno* (c), & *JCto Lipsienſi Titio* (d),
quos in eandem ſententiam diſceſſiſſe video;
mihi ingenuè, fateor, contraria omnia proban-
tur, qui ſola auctoritate Viri, quem diximus,
opinionem, quam primus, puto, ille in medium
attulit, niti, non rationibus evidentibus, qua-
les,

(b) Illuſtris *Cocceji* doctrina eſt, Henricum I. Marchiæ
Brandenburgicæ jus civitatis Germanicæ dediffe,
ejuſque eam fuiſſe formulam, ut tanquam Ducatus
proprio jure & poteſtate uteretur, adeoque regno
mediate ſubeſſet. *Jur. publ. prud. c. 3. ſect. 5. n. 68.
& 71.* Miſniam & Luſatiam juris Slavici manſiſſe,
adeoque nunquam locum & ſuffragium in comitiis
habuiſſe. *n. 70.* Sed de Ducatu Brandenburgico ali-
bi forte videbimus, nunc Luſatiæ tantum cauſam
agimus.

(c) Ita accipio, quæ Vir clar. *Germ. Princip. L. 2. c. 7.
p. 47. ſeq.* habet. Ubi enim Marchioni Brandenburgi-
co jus in comitiis regni & inter Principes Imperii tri-
buerat, Miſnico & Luſato eandem facultatem non
obſcure negat.

(d) Vid. *Ej. Spec. Jur. publ. L. 1. c. 3. §. 15.*

les, ut tam insigne discrimen admittamus, requiruntur, eam, quod pace dissentientium dictum velim, sustineri censeo. Atque Misniae quidem suffragii jus luculenter satis asseruerunt Viri celeberrimi *Hornius* (e) atque *Ludwigius* (f), licet hic, alias Misniae Marchionibus parum æquus (g), minus re-

A 3

(e) Egregie Misniae Marchionum causam egit Vir Magnus in *programme*, quod anno 1706. de hoc argumento conscripsit.

(f) Non possum, quin ipsa celeberrimi Viri verba adjiciam, qui mutata, ut videtur, priori sententia jus nostrorum Principum dissimulare non potuit. Ita in *Paradoxis* §. 17. p. 19. quidam, ait, nullo eum (Misniae Marchionem) tempore habuisse suffragium existimant, quod juris Slavici ille esset quidam &c. *Utrique male. Illi, quod Misniae Marchionem per quinque secula comitiis interfuisse suffragatorem, nemini ex historia possit esse ignotum.* Et in formula Brandeburgica §. 10. *lit. n. p. 94. Misniae Marchionem jura civitatis Germanicae habuisse, plurima fidem faciunt. Sane tot loca sunt, unde patet, quod comitiis interfuerit, quod archi-venatoris munere functus sit, quod Caesarum literas subscriptione adprobaverit, ut mirer &c.* Quæ satis recte se habent, nisi, quod *Schüzius*, contra quem illa differuisse videri voluit *L. 1. t. 8. pos. 4.* non neget, olim Misnicos votum habuisse, sed eò illos nunc non uti ostendat.

(g) Viderint alii quo juré, ubi vasalli, qui olim Ducatui Brandenburgico paruerint, recensentur, Mis-

esse amisisse id deinceps eos putet, quod omissum aliquamdiu fuit (h). Lusatia igitur videamus, utrum recte idem denegetur, ut si liquido evinci nequeat ejus Marchiones suffragatores in comitiis olim fuisse, id saltim appareat, non modo rationibus dissentientium parum roboris inesse ad jus hoc nostris Marchionibus dene-gandum; verum etiam plus, quam probabile esse, Lusatiam etiam olim provinciam Germa-nia ejusque Marchionem inter Ordines regni fuisse. Quod dum obtinere cupio, non opus est, ut causas repetam, ex quibus Silesios

(i) alia quoque fiat mentio: quam recte tradatur, e-am Brandenburgicis accessisse, si pactis, ut par erat, satisfactum fuisset: denique, ut alia omitam, cur Misnia initia tam tenuia esse putet, qui Brandebur-gicas origines adeo augustas esse contendit. *vid. Germ. Princip. L. 5. c. 1. p. 16.* Mihi eo digredi hic non licet. Notasse sufficiat, quae alio loco & tem-pore expendi merentur.

(h) Quod una manu dedisse nostris videtur, id, quantum potest, altera iis adimere conatur, dum suffragii jus dudum extinctum esse frustra contendit. Sane, quas affert rationes absque negotio invertere & pro Marchionibus nostris urgere licet. Quid enim? si olim territoriorum numerus suffragia non auxit, hodie quoque possessoribus plura vota non praesta-bit. Sed vid. laudat. *Hornii Progamma*, ex quo reliquis dubiis facile poterit satisfieri.

(i) aliqui jus civitatis in Imperio habuisse (l) ac Bohemiam (m) Germaniæ provinciam esse, alii evincere conati sunt, aut liti me interponam eorum, qui *Lusatia septemvirale votum* (n), quo Rex Bohemus gaudet, inhæsisse con-

ten-
(i) Sunt qui *Lufatos Silesis accensent*, quod si ita esset, non parum nobis argumenta eorum prodesse, qui & Silesis jus civium Germanicorum tribuerunt. Sed errorem hunc refellit *Manlius Commentar. rer. Lusat. L. 1. c. 41. add. Ejusd. δειγμα. & Schurzfleischii diss. de Lusat. zbes. 6.*

(l) Nihil hic definire audeo, asserere tamen Silesis jus Germanicæ civitatis voluit *autor der fernernwei-zen grundlichen deduction der evangelischen Schlesier religions-freyheit.*

(m) Longum foret controversiæ hujus causas ac utriusque partis rationes recensere, quas integris tractatibus alii exhibuerunt. videsis *Celeberr. Hertium de renovato Rom. Germ. Imperio & regn. Bobem. nexu. 1709. add. Perill. atque Excellentiss. Autor. des Eur. Herold. P. 1. p. 221. seqq. Goldast. de Regn. Bobem. L. 3. c. 3. & Lyserum de Elector. Bohemia.* qui evicerunt, Bohemum civitatis jus, quod feliciter iterum nuper vindicavit, olim habuisse. Sed inde argumenta ego pro Lufatis ducere nolim, cum facilius alia ratione eorum jus ostendi possit.

(n) Qui Lusatiam pro circulo Electorali Bohemico habent, quod *Fabricio Orig. L. 5. p. 542.* & qui eum sequuntur, visum fuit jus suffragii Marchionibus no-

tendunt. Aliæ mihi succurrunt rationes, ut non sit, cur eo digrediar. Id initio certum expeditumque habeo *Slavici juris* (o) *nomen*, cum Misniæ & Brandenburgico Marchionibus non obstat *Lusatia* quoque *objici non posse*, quem eodem *jure cum reliquis* Marchionibus *constitutum* esse tamdiu *præsumo* (p), donec luculenter aliud Viri Clarissimi demonstrent. Jam ipsa auspicia Marchiæ hujus non parum me in ea sententia firmant. *Primum* ea *Geroni* (q) *credita* est,

fris facile puto largientur. Sed neque inferiori, neque superiori Lusatia septemviralem dignitatem inherere docent *Scharfshmid. Vol. 1. Ex. 7. tb. 25. p. m. 588.* & *Schurzsteischius de Lusat. p. 13.* ut satius sit isto argumento non uti. *add. Gion. Saxon. c. 2. pag. 71.*

(o) Utuntur hoc potissimum ratiocinio, qui dissentiant; sed inane nomen prisca gentium frustra nobis objicitur, cumque quoad Misniam id fallere ostenderit Viri, quos supra allegavi, Clarissimi adversus Lusatiam quoque parum roboris ei inesse puto.

(p) Hoc volo onus probandi non incumbit iis, qui Marchionem adversus Slavos Germaniæ ordinibus inferunt, cum juris præsumptio ab hoc onere eos liberet, sed illis, qui disparem ejus a Brandenburgico & Misnico conditionem comminiscuntur.

(q) Ita plerique tradunt, qui res Lusatia exposuerunt. *vid. Sagittar. thes. 18. Manlium L. 2. c. 10. Schurzsteischius* tamen noster, quo nescio autore, Lusatiam

est, quem *Marchionem Ducem* (r), etiam antequam Lusatiae Brandenburgica Marchia accederet (s), dictum fuisse constat, ex quo, si id non confici potest, quod plurimis placuisse scio, iusti ducatus formulam Lusatiam habuis-

B. s. m. i. g. u. d. s. fe
inferiorem primum tenuisse Sigfridum scribit in Lusat. p. II.

(r) *Geronem* primum Lusatiae Marchionem DUCEM appellari constat ac a *Sagittario*, *Meibomio*, *Hoppenrodio*, *Coccejo*, *Ludwigio*, aliisque observatum fuit, qua de causa Dux dictus; utrum dignitatis, an officii aut gentis nomen id fuerit, non est expeditum. Sed ea de re ex instituto agendi forte erit occasio. Interim observo in diplomate, cuius Ampliff. *Ludwig.* initium exhibet *in form. Duc. Br. p. 38.* apud *Leuberum*, qui *Stap. Sax. n. 1601.* integrum id inseruit, duas legi eo loco, quo *ducis* nomen ille expressit.

(s) Parum proficiunt mea sententia, qui, dum formulam *Ducatus Brandenburgici* eruere cupiunt, ad *Geronem*, quem *Ducem* appellatum fuisse monui, confugiunt. Nam ut alia, quae huic argumento obstant, plurima omittam, Gero *Dux dictus* fuit, cum nondum Brandenburgicam Marchiam teneret, sed Lusatiam tantum praesset. Ita *Chron. Mont. Seren.* Geronis Ducis & Sigfridi Comitis meminit. vid. *Coccej. p. 76.* Sed & quae de Gerone ex *Witichindo* commemorat *Ludwigius form. pag. 85. lit. a.* eo tempore evenisse videntur, quo Sigfridus *Brandenburgicus* erat Marchio, Gero Lusatiae tantum limites adversus Slavos tuebatur.

fe [t], Jus tamen civitatis Germanicæ Marchionum fati puto apparere [u]. Eadem ergo conditio

- (t) Non id nunc ago, ut Lusatia Ducatum astram, licet eadem opera id fieri posse putem, qua Brandeburgicum alii eruere conantur. Sane quæ speciem aliquam habent rationes; eæ felicius multo pro Lusatia urgentur. Neque desunt, quos excitare possim, pro Ducatu Lusatia testes, si Doctorum suffragia huic rei sufficerent. Mylerus scribit, Geronem Comitem Ducatum Lusatiorum ab Ottone hereditario jure obtinuisse *Archol. cap. 9. thes. 2. p. 80.* Quem sequitur *Burgoldensis P. 1. disc. 20. p. 354.* Eadem *Hoppenrodii p. 480. & Meibomii Tom. 1. p. 703.* sententia esse videtur. Principes illustres appellari Lusatia Marchiones, *Ludvig docet form. Duc. Br. p. 45. lit. m.*; quæ appellatio Ducibus fuit propria. Pertinent & huc, quæ de *Gerone* passim circumferuntur rythmi: *der Lausitz erster Fürst ich vvar.* add. *Schurzschleibius* noster *diff. de antiq. Saxon. dign. p. 16.* ubi Lusatiam *principatus* titulo tenuisse Comites *Vetinenses* tradit.
- (u) Geronem, quem virum magnum & potentem *Vitichindus* appellat, qui apud *Henricum Aucupem* & *Ottonem I.* gratia plurimum valuit, inter Imperii Ordines locum habuisse nemo forte est, qui negat, & diplomata, quibus inter reliquos Principes Comites ac fideles Imperatoris commemoratur, evincunt; quæ cum apud *Hoppenrodium*, *Leuberum* & *Ludwigium* legi possint, hic repetere nolo. Marchiam autem orientalem, id est Lusa-

ditio Marchionum, qui Geronem [x] fecerunt
funt, ut forte dubitandi nulla superesset cau-
sa, si Lusatia diutius proprios praefectos habuisset.
B 2

tiam jus hoc ei praestitisse, cum hujus tantum non
ubique, ubi de Gerone agitur, mentio fiat, facile
intelligitur. add. *qua dixi lit. S.*

(x) Geronem in Marchionatu Lusatiae excepit Christianus, ut plerique tradunt, etiam *Manlius L. 2. c. 16. & Sagittarius*. Sunt tamen, qui *Lusatiam* velint post illius obitum ad *Hermannum Billingium* pervenisse. Non ausim ego has difficultates tollere, conjecturam affero, quam nemini obrudo: *Dominium utile* penes Christianum, *directum ducis Saxoniae* Hermannii fuisse. Multa sunt, quae *tres Marchionatus* Misniae, Lusatiae & Brandenburgicum, *seu Saxoniae* olim fuisse suadeant. *Comites* certe *Saxoniae*, ut alia omittam, vocantur Marchionum illarum praefecti, ipse *Gero* etiam apud *Goldastum* & eo quidem tempore, quo utramque & Brandenburgicam & Lusatiam Marchiam tenebat; *Comites* autem *Provinciarum* olim fere omnes *Ducum* *Vasalli*: neque tamen inde inferas, jus civitatis in Imperio eos non habuisse, cum vinculum fidei, quo *Duci* tenebantur *Comites*, eis non obstaret, quo minus ferrent in *Comitiis* suffragium, quod nemini, quem prisca *Ordinum* & *Comitiarum* ratio non latet, ignotum esse potest. Sed haec ulterius expendi merentur. Confer. *Spec. Sax. L. 3. art. 62.*

set. Ubi ad Misnia [y] Marchiones Lusatia
pervenit, ac Brandenburgico quoque [z] aliquam-
diu paruit, votum sane dixerunt Marchiones,
licet Lusatia nominatim mentionem non fece-
rint, cum mosillorum temporum id nec exige-
ret, nec pateretur, quibus territoriorum nume-
rus suffragia non augebat. Post Bohemia juncta
fuit, ubi Marchiones iidemque Reges voto,
quod vindicare sibi poterant, sponte sua absti-
nuerunt. Quod fraudi nostris esse nequit, non
magis ac ipsis Bohemis, qui tanto temporum
inter-

(y) Notum est, Misnensibus modo inferiorem, mo-
do superiorem, modo utramque Lusatiam paruisse;
neque adeo liquet, quo jure iterum eam amiserint.
vid. *Perill. atque Excell. autor des Europäischen He-
rottd. p. 245.* Sub Henrico Aucupe autem Comites
Wetineses Lusatiam tenuisse, quod *Giov.* in Sax. p.
71. tradit, memoriis illius temporis non convenit.

(z) Paruit etiam aliquamdiu Brandenburgicis Lusatia
inferior, imprimis, unde & autor *Specul. Saxon. l. c.*
vexillum *Lusatia Brandenburgico* tribuit, non tamen
ideo ejus aut accessio aut comitatus fuit, nisi & Bran-
deburgicam Lusatia provinciam fuisse putes, cum
Geroni Lufato post mortem Sigfridi illa cederet.
Qua ratione & ex quibus causis autem amiserint, quæ
tenuerunt pleraque, *Manlius* tradit *L. 2. § 3.*, qui
unus res Lusatia luculenter exposuit.

intervallo privilegio non comparendi usi fuerunt. Tandem feliciter ad Misnia Marchiones Lusatia rediit, feudali tamen lege a Boemis [aa] translata, quod vinculum falluntur, qui obstare nostris Principibus putant, quo minus amplius inter Ordines Imperii referri possint, cum ne summo quidem Imperio fides feudalis obstet (bb), & Vasallum Austriae quondam *Wuerttembergicum*, eundemque Comitibus interfuisse constat (cc). Cæterum temporis lapsus, non usum

B 3 &

(aa) Hypotheca jus primum in Lusatiam consecutus est Gl. Mem. Princeps Elector Div. Jo. Georg. I. anno 1620. d. 6. Junii, cui traditio accessit anno 1623. d. 13. & 20. Junii. Plenissimum deinde jus accepit patris d. 30. Maji 1635. inquit, quæ pax Pragensis confirmavit. Solennis traditio tandem anno 1636. d. 14. Aprilis facta est. Translata fuerunt jura regia omnia, quæ Imperatoribus & Regibus competierunt, (unde *nobilitandi* etiam jus Electoribus nostris in Lusatia competere nonnulli scribunt,) ea tamen lege, ut directum dominium Regi Boemiæ servaretur. add. *Perith. Autor des Eur. Her. P. 1. p. 246. & P. 2. p. 439.*

(bb) *Vid. Grot. L. 1. c. 3. §. 23. ibique Hennig. p. 250. & Vitriar. Kulpif. th. 12. lit. c. p. 27. &*, quos ille plures excitavit.

(cc) *Vid. Eur. Her. P. 1. p. 482. Linn. L. 1. c. 7. n. 100. L. 5. c. 16. n. 6. & in addit. ibid.*

& quæ sunt alia, quæ vulgo objici solent, frustra
opponi, cum alii invictis argumentis ostenderint (dd), non est, cur hoc loco illa multis repetam, imprimis cum hic instituti ratio subsistere me jubeat. Quare finio, id tamen addo, eam, quam contra illustrem Virum sententiam tueor, Viris etiam Celeberrimis *Manlio, Conringio, Sagittario, Schurzfleischio* placuisse, qui de jure civitatis Germanicæ, quod Lusatia assereui, non dubitarunt. Nunc pauca de natalibus & fatis Nobilissimi Jurium Candidaci *Joannis Davidis Vækelii*, qui scribendi hæc nobis occasionem dedit, dicenda restant. Patriam ei fors nascendi Pretscham esse voluit, Parentes *Joannem Christophorum*, Ministrum Verbi divini inter suos primarium, & *Evam Grunbergiam* foeminam sui sexus dotibus ornatissimam dedit, ex quibus ante hos duos & viginti annos natus est. In literis primum sub parente profecit, ulteriorem cultum Gerardo *Euzio*, Davidi Erdmanno *Tischer*o, Joanni Friderico *Lipio* & Godofredo *Steinbrechero* scholæ Torgaviensis Rectori debet. Inter cives nostros nomen suum professus est anno hujus seculi secundo, eo tempore, quo Vir Excellentissimus

(dd) Vid. inprimis *Horn. l. c.*

simus Joh. Christophorus Wichmannshausen,
LL. OO. Prof. Publ., Academiae fasces tenebat.
Per triennium, quod apud nos exegit, publi-
cas lectiones celeberrimorum Antecessorum
Strauffii, Bergeri & Hornii, privatasque Con-
sultissimorum Virorum Brendelii & Seebachii
scholas frequens secutus est. Ubi nostram A-
cademiam reliquit, in patriam se recepit, in-
que ea per aliquot annos commoratus est.
Dein ad nos rediit, ac privatissima Juris-
Consultissimi Viri Jo. Balthasaris Wernhe-
ri informatione usus est, cui acceptum refert,
quod ad examen novellis Advocatis subeun-
dum admissus ab Ordine nostro testimonium
acceperit, quo causis perorandis idoneus judi-
caretur. Eo instructus Dresdæ jusjurandum
præstitit atque clientum patrocinia bona fide
& suscepturum se, & quas susceperit, causas di-
ligenter peroraturum esse promisit. Tandem ex
consilio Excellentissimi Patruī Godfridi Voel-
ckelii, Consiliarii Regii, honoris summi in utro-
que jure capeffendi causa iterum ad nos se con-
tulit, ac Præceptori, cujus fidem & industriam
expertus erat, denuo se commisit. Ingenui a-
nimi est non dissimulare, unde profeceris, gra-
ti &

ti & memoris beneficiorum, merita in se alio-
rum agnoscere. Noster veneratur & depræ-
dicat gratissima mente Præceptorum curas, ac
perpetuam earum penes se memoriam fore san-
ctæ pollicetur. Nuper primum tentamen sub-
iit, quo Candidatorum profectus exploramus,
inque eo talem se præstitit, ut nulla causa esset,
cur honestissimæ petitioni, qua ad reliqua spe-
cimina admitti postulabat, quicquam denegare-
mus. Sed antequam iis defungatur, publicum
ei eruditionis documentum edendum est. Pro-
ximo itaque die Jovis sub moderamine ejus,
quem diximus, Excellentissimi Viri *Joannis
Balthasaris Wernberi*, Pand. Prof. Publ., Cur.
Prov. Scabin. & Ordinis nostri Assessoris, *the-
ses miscellas ex Jure vario* publice tuebitur.
Huic actui solenni vestra Pro-Rector Magni-
fice, Patres & Proceres Academiae singularem
splendorem præsentia potest conciliare; qua-
re eam nobis, ut & juventutis generosæ &
nobilissimæ favorem atque frequentiam perof-
ficiose & observanter, mutua officia & candida-
ti nostri cultum ac obsequia polliciti exora-
mus. Dab. XIV. Decembr. A. O. R.
c1o 1000 IX.


VITEMBERGÆ, PRELO KREUSIGIANO.

M. 999 M

X. 2255855

m





*De Lusatia provincia germanica
nequaquam Juris Slavici contra
Cacceji et Giovanni sententiam*

ORDINIS JURIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

h. c.


DECANUS

MICH. HENRICUS
GRIBNER,

PROF. PVBL.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.



28.14.12.

2,753.

